



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

LXXI. De perfecta moralitate in duobus sita, Declina à malo & fac bonum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

*Et boni & mali
Angeli in nos
intendunt.
Et nos ipsi in alios,
nostri immemores.*

*b Psal. 141. b
c Psal. 118. m
Desidia nostra
in negotio salutis
perstringitur.*

plane, & malis & bonis pariter. Illos enim sollicitat invidia passio, istos compassio misericordiae, ut in nos incessanter intendant, illi quidem defectum nostrum, isti profectum desiderantes. Nimirum in probatione sumus, inter paradysum & infernum interim mediū, velut inter claustrum & seculum constituti. Diligenter consideratur utrinque quid agimus, utrinque dicitur, o si ad nos transeat: intentione quidem dissimili, sed non dispari forsitan voluntate. Quod si ita omnium oculus in nos: nostri quo abierunt, aut quare soli ipsi recesserunt a nobis? A dextris siquidem & a sinistris tanto studio circumspiciti, soli dissimulamus inspicere vitam nostram: soli nosmetipsos negligimus intueri, nec verentes deceptorios, nec administratorios saltem spiritus reverentes: *Me expectant iusti, donec retribuas mihi b.* Et item. *Me expectaverunt peccatores ut perderent me.* Hinc mihi gehenna, inde corona paratur: & inter hanc atque illam medium nugarum libet, oscitari delectat? Usque adeo nec trahor desiderio, nec periculo terreor, nec cupidus plane nec pavidus, in quibus magis fuerat necessarium; perniciosissime insensibilis ad utrumque. Exurgamus aliquando, Fratres, nec in vano accipiamus animas nostras, pro quibus alii tanto zelo, vel in bonum vigilant, vel in malum. Non est res parva quam sic infectantur hostes, cives sic praerolantur.

S E R M O LXXI.

a Psal. 36. c

*b Gen. 42. &
43. a
c Exod. 1. c*

*Israelita causa
famem in Aegyptum
profecti tunc
bique postea oppressi,
quid tropologicè.*

d Ioan. 1. a

e Psal. 118. b

f Ephes. 5. b

Integra & perfecta moralitas in duobus praecipue consistit, in evitandis vitiis, & appetendis virtutibus: quoniam non sufficit a malo abstinere, si non & bonum faciamus. Inde Psalmista ^a: *Declina a malo, & fac bonum.* Fugiamus ergo vitia, amplectamur virtutes. Historias igitur summatim delibantes, moralitatis fructus decerpamus. Fames coegit Israel intrare in Aegyptum ^b: statim reperit ibi novum Dominum, & de libero servus efficitur. Ex illius regionis in habitatione redigitur sub potestate Pharaonis: qui masculos praecipit interfici, foeminas reservari ^c. Israel operibus luti & lateris duriter affligitur. Pharaon paleas ministrat laborantibus. Fames coegit.

Non fames panis, neque sitis aquae, sed audiendi verbum Dei, compellit multos intrare Aegyptum: Hoc verbum Dei est lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum ^d. Unde Psalmista ^e: *Praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* Qui hanc lucem sequitur, non ambulat in tenebris, sed habet lumen vitae. De luce praceptorum transitur ad lumen praemiorum. Qui hujus divini verbi patitur egestatem, cogitur intrare Aegyptum, id est, tenebras. Involvitur enim tenebris ignorantiae, & subjacet dominio Pharaonis, id est, diaboli, qui princeps est Aegypti, hoc est tenebrarum, juxta illud Apostoli ^f: *Non est nobis colluctatio adversus car-*

sus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitia, in celestibus. Sub jugo Pharaonis fiunt lutea opera, id est, dissoluta & sordida. Ab ipso dantur paleæ, id est leves cogitationes. Palearum est leviter accendi, & in momento consumi. Sic & malæ cogitationes à diabolo immixtæ cito in mentibus nostris accenduntur, carnis mollitie consentiente. Sed si viriliter studeamus resistere, Deo juvante protinus extinguuntur. Paleis accensis coquebatur lutum, & solidabatur in lateres: & pravæ cogitationes quæ sunt lutum, paleis delectationis accenduntur. Quæ cum transeunt in actum, tunc decoquantur: cum vero ducuntur in consuetudinem, tunc solidantur.

S E R M O LXXII.

Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum ^a. Pii sunt qui in Deum credunt, & ipsum colunt. Est enim pietas cultus Dei ^b. Hic autem cultus in tribus consistit, fide, sp̄e, & charitate quæ sunt invisibilia. His tribus carent impij qui Deum non colunt; & quorum consilium est visibilia invisibilibus, terrena cœlestibus præponere. Horum caput & princeps est diabolus, qui primus à pietate recessit, & impius factus etiam homines in paradiso positos, ab eadem pietate fraude sua dejecit, volens eos habere socios sui erroris, & participes iniquitatis. Ille enim Evam seduxit, & illa virum sibi subdidit. Similiter adhuc dæmon suggerit carni, caro spiritui, & fit impiorum consilium. Dicunt enim sibi invicem: *Omnium nostrum sit unum marsupium* ^c. Ponunt ergo in memoria quasi in marsupio quisque obolum suum: dæmon scilicet suggestionem, caro delectationem, spiritus consensum. Inde tanquam de tymbolo comparant sibi victum competentem. Caro quidem combustionem, ignem scilicet qui non extinguitur: spiritus malam conscientiam, id est, vermem qui non moritur. Dæmon autem emittit utriusque sanguinem.

Ad hoc consilium impiorum itur quatuor modis. Quidam enim trahuntur inviti, alij attrahuntur illecti, alij seducuntur ignari, alij sequuntur spontanei. Istis necessaria sunt quatuor virtutes, per quas armati resistant, ne in consilio eant. Invitis necessaria est *fortitudo*, qua resistant usque ad mortem minis, cruciatibus, & damnis. Illi qui attrahuntur illecti, indigent *temperantia*, quæ reprimit illicita desideria, nec cedit promissionibus, nec emollitur blanditiis. Illis qui seducuntur ignari, est opus *prudentia*, quæ ab utilibus inutilia discernit, & docet quid tenendum, quidve rejiciendum sit. *Iustitia* indigent illi qui sequuntur spontanei. Iustitia est rectitudo voluntatis, quæ nec amat peccare, nec peccato consentire. Iustitia & fortitudo sedem habent voluntatem; quia voluntas justa debet esse & fortis. Est autem

^a Psal. 1. a
bob. 20. juxta
LXX.

^c Prov. 1. b
Consilium im-
piorum cuius
author & sug-
gestor Dæmon.

Quatuor ad
hoc consilium
vte.
Totidem virtutes
in opposita.